

MACABÆUS  
IN  
P. LAXMANNI



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 1106 4°







Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 1106 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 1106 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.  
LN 1106 4°



44. 241.

DA BOX


LN 1106

M









IN OBITVM  
NOBILISSIMI  
PAVLI LAXMANNI:  
AD GENEROSVM ET CLARISSI-  
MVM DOMINVM OTTHONEM  
PORS, ELEGIA CONSO-  
LATORIA,

SCRIPTA  
A  
CHRISTIANO MACHABÆO  
ALPINATE.



H A F N I A E  
ANNO CHRISTI  
M. D. LXXX.



NO  
PAV  
BO S  
CHR  
AD C  
DO



Nov  
Cru





IN OBITVM

NOBILISSIMI IUVENIS,  
PAVLI LAXMANNI, hereditarij Domini  
BOSIEHOLM, in Domino pie defuncti, ANNO  
CHRISTI M. D. LXXIX, Die Decemb: XX:  
AD GENEROSVM ET CLARISSIMVM  
DOMINVM OTTHONEM PORS,  
*Amicum & Collegam, ELEGIA CON-*  
*SOLATORIA,*

SCRIPTA

A

CHRISTIANO MACHABAEO  
ALPINATE.



*T* iam terra pias HELENÆ  
*vix presserat umbras,*  
*Et lachrymis madida vix caruere*  
*gena:*  
*Ecce recrudescit repetito vulnere*  
*vulnus,*  
*Et nouus infestat saucia corda dolor.*  
*Non secus unda tumens alia subuertitur unda*  
*Inq, vicem pontj fluctus & aura fremunt:*  
*CruX sic dura cruceM sequitur, Mors effera morbos,*  
*Et mala mortales accumulata premunt.*

A 2

Sic

CHRIST: MACHABÆI ALP:

Sic noua materies non ficto plena dolore,  
Obijcitur, lachrymis causa futura nouis.  
Namq; sub ingressum vernantis flore Iuuenta,  
Hei mihi LAXMANNVM Mors inopina ra-  
Ergo PAULE iaces solamen dulce parentis, (pit.  
Unica LAXMANNÆ stirpsq; relicta domus?  
Ergo nihil nec opes, nec gentis celsa propago,  
Nec per Maiores gloria ducta iuuat?  
Nec sophia studium, nec cultus cognitus orbis?  
Decretum fati nil remouere potest?  
Ne fallare igitur quisquis successibus auctus  
Fortuna, tumido pectore corda geris.  
Nil immune, licet fuerit sublime potensq;  
Quod non & fato disijciente ruat.  
Sola DEO fidens quæ cælo semina ducit,  
Eximitur lethi Mens, mihi crede, minis:  
Dumq; vices patitur mortalis massa, reditq;  
In terram è tenui puluere nata caro:  
Illa petit cælum putribus non clausa cauernis,  
Viuu & aeterno libera facta DEO.  
Interea dum vita manet (si vita putanda est  
Perpetuusq; dolor continuusq; labor)

Queramus



ELEGIA CONSOLATORIA.

Quæramus concessa pijs medicamina luctus,  
Offert quem veniens multiplicatq; dies :  
Et circumspèctè lachrymas moderemur obortas,  
Ne noceant nobis displiceantue DEO.  
Nam dolor extinguit vitales sanguinis Ignes,  
Eneruat vires cordaq; tosta ferit :  
Qualis flammanti marcescens lumine Solis  
Flos perit, & flammis cera liquata perit.  
Et quamuis merito interdum mœrere iubemur,  
Pectoribus <sup>σόςυαα</sup> inseruitq; DEVS:  
Ut iusti generent animis suspiria luctus,  
Quos sua damna gravant, quos sue aliena premunt:  
Parcere sed lachrymis : non indulgere dolori :  
Et deslere suos cum ratione iubet :  
Præbet & afflictis semper solatia rebus  
Fortia : qua media Morte iuuare solent.  
Sunt speciosa quidem magnorum <sup>θέραινα</sup> sophorum,  
Quæ tamen aufugiunt, Mortis ut horror adest :  
Voce iuuant: sed vox tenues dum transit in auras,  
Occupat immensus pectora læsa timor.

A 3

Ergo



CHRIST: MACHABÆI ALP:

Ergo mihi breuibus referentj vera dolorum  
Ex verbo summj, pharmaca, sumpta DEI:  
OTTHO vaca, præscripta legens solamina fletus,  
Quæ reuocant tristi corda subacta metu:  
Et pellunt curas Animj, minuuntq; querelas,  
Et Spe, mæroris damna cruenta leuant.  
Hæc studio MAGNVS quondam congesit amico,  
Exornans latia cultius illa toga:  
Cum dolor HILARII penetraret pectora GRV'BI,  
Illius orbarent & fera fata thorum.  
His utitur dulci nuper consorte reuulsa  
MAGNVS, & in summo corda dolore fouet.  
Hæc, fateor, sterilj sunt à me reddita versu,  
Anxietas animo dum sedet alta meo.  
Nam lætj subeunt cerebri penetralia Muse,  
Nec sunt mærentis carmina Mentis opus.  
Sed quia LAXMANNO lugubris vena parentat,  
Qui mihi virtutis nomine iunctus erat:  
Et tibi concepti mittit mederamina luctus,  
Quem parit innatus proximitatis Amor:  
Pauca tibi placeant, & lentj carmina pleçtrj,  
Suppleat officium, quod mea Musa nequit.  
Ingredimur

ELEGIA CONSOLATORIA

*In*gredimur vitam, vitæque relinquimus auras, I.  
Non casu, uel quod fata seuera velint:  
Non atomis temere nos concurrentibus ortos  
Credimus: aut fato deproperante mori.  
Sentiât hoc, Stoico qui carcere cuncta coërcet,  
Et Numen Mundi vincula ferre putat:  
Somniet, & nugis satiet se leniter haustis,  
DEMOCRITO quisquis vult adhibere fidem.  
Nos vitæ simul & Mortis stâta tempora nostra,  
Et quicquid moles totius orbis habet,  
Numinis Imperio nulla ratione coactô  
Subdimus, & sequimur libera sceptrâ DEI:  
Ille rotas medio phæbaas sistere cursu,  
Et verbo lymphas ille secare potest:  
Exhebetat flammâs: humentia flumina siccât:  
Et pulsa vitam reddere Morte solet.  
Non igitur dubijs urgemur casibus acti,  
Fata sed eueniunt cuncta regente DEO.  
Inserit is vitæ vegetanti lumine flammâs,  
Vitales aufert cum volet ille faces:  
Auferat, & duras vitæ cum limite pœnas  
Terminet, & placidè finiat omne malum. I.

Nam



CHRIST: MACHABÆI ALP:

Nam velut è pelago ventorum turbine moto,  
Nos DEVS è misera conditione vocat.  
Concitat hic rabidum vel dira procella tumultum,  
Irruit instructis vel leuis aura dolis.  
Blanda fauet plenis tibi si Rhamnusia velis,  
Te modo præcipitem Sors variata trahet.  
Qui nunc securus videnti splene iocaris,  
Cogeris en reliquum tempus in omne queri.  
Non diuturna sed est præsens Fortuna diurna,  
Quæq; iuuat, citius præterijisse solet.  
Ergo si parili perpenderis omnia lance  
Quæ secum breuis hac, vanaq; vita trahit:  
Sunt cura, metus, anxietas, spes irrita, morbi,  
Vltima præcipitat dira vorago necem.

II. Nec satis est cursu validas superare procellas,  
Mundani Syrtes & vada cæca freti:  
Si statio non tuta datur, portusq; salutis  
Excipit, aut si non longa pericla quies.  
Quid vixisse iuuat miserè, Mortisq; tulisse  
Imperium, diras sustinuisse cruces:

Sipe.



ELEGIA CONSOLATORIA.

*Si pereunt homines errantum more ferarum,  
Vita quibus fuso sanguine nulla manet.*

*Sed nos è mundi vclut imo carcere ductos  
Ad cœli transfert culmina celsa DEVS:  
Abstergitq<sub>3</sub> oculis lachrymas, gemituq<sub>3</sub> remoto  
Munere lætitiæ pectora nostra beat.*

*Notitiæ radios & plenam pectore lucem*

*Diffundit, quâ se nouerit atq<sub>3</sub> Deum.*

*Iustitiæ vestit perfectæ, & imagine Christi,*

*Vsq<sub>3</sub> adeò effulget gratia summa Dei.*

*Non oculus cernit: non auris percipit vlla,*

*Non cor, non ratio, prendere, mensue potest:*

*Quæ bona perpetuis ornabunt plurima seclis,*

*Quos cœli regio, vitæq<sub>3</sub> sancta fouet.*

*O ter felices animæ, commercia regni*

*Quæ colitis superi, turba beata DEI.*

*Tempus erit cum membra suis educta latebris,*

IIII.

*Hæc eadem quæ nunc computresacta iacent:*

*Ut tuba clangorem dederit diuina supremum,*

*Suscipient vitæ purificata decus:*

*Ipsaq<sub>3</sub> mens quondam cœlis illata: redibit*

*Vnde abiit, propriam glorificata domum:*

B

Iuncta

CHRIST: MACHABÆI ALP:

*Iuncta deinde DEO semper pars utraq; uiuet,  
Vtlerius duram non subitura necem.*

*Ergo piis mors somnus erit, thalamusq; sepulchrum,  
Et locus optatae parua quietis humus.*

*Brute Epicure uale, porcini dogmatis auctor,  
Qui vitam post hanc non superesse putas.*

*Nulla pios igitur mortis formido molestet,  
Ad vitam cum sit transitus illa nouam.*

V. *Sed te fortè mouet quod sis spoliatus amico  
Ingenuo, quo non dulcior alter erat:  
Aut torquent animum charorum fata parentum:  
Vellachrymas lecti pignora adempta cient:  
Conficit aut uiduus mœrentia pectora luctus,  
Dum vitæ compar tollitur atq; thorj:  
Siste pius fletus, iustas moderare querelas,  
Singultu posito, parcus atq; dole:  
Vna dies vitam, pariter tibi reddet amicos,  
Cum CHRISTO eternum qua sociandus eris:  
Fœdus ubi rursus firmum rediuiuis inibis,  
Assumet vires & repetita fides.*

**E**



ELEGIA CONSOLATORIA.

Et quia suspicio, quia fraus inde exulat omnis,

Et quicquid vanos format alitq; dolos:

Candida sinceris compingit pectora vinculis

Spiritus, & vero corda favore ligat

Quin noua connectet sanctas coniunctio mentes,

Quas prius hic nullus conciliauit amor.

& VAM mox somnis agnouit ut exitus ADAM,

Consortemq; sui sciuit adesse thori.

Et nondum natus CHRISTVM BAPTISTA salutat,

Quem gessit tenero virgo pudica sinu.

Sic olim veteres nos cognoscemus amicos,

Maior & in puro corde vigeat amor:

Cœlestesq; animas inter versabimur: ut qui

Simus pars rutila sanctificata domus.

Interea placido LAXMANNI membra sepulchro

Condita, sed qua sint mox rediuiua, cubent.

Nos cursu insequimur properantia fata citato,

En vita, & vita terminus huius adest.

B,

MANNI.



MANIBVS

PIÆ ET HONESTISSIMÆ  
MATRONÆ, HELENÆ REVEREN-  
DI VIRI, MAGISTRI HENNINGI  
FILIAE: VXORIS DOCTISSIMI VIRI,  
MAGISTRI MAGNI MATTHIÆ,  
THEOLOGI ET CANONICI LVN-  
DENSIS, DVLCISSIMÆ: QVÆ PLA-  
CIDE IN DOMINO OBDORMIVIT,  
LVNDIÆ, ANNO CHRISTI  
M. D. LXXIX. DIE  
DECEMB: XVI.  
SACRVM.



*Ortatum est: HELENÆ QVE  
DEO tribuente coronam,  
Victrix aeterna gaudia lucis adit.  
In mundo velut in castris versa-  
mur: Et hosti  
Obijcitur praesens vita caduca fero.  
Urgemur pugnis intus, terroribus extra:  
Est texenda pijs longa tela crucis.*

*Fœlices*

*Felices animæ quibus hinc discedere fas est,  
Et placida in cælo condicione frui:  
Unde dolor, lachryma, singultus, cura, laborq,  
Exulat, & morbi, fata, pericla, neces.  
Non metus hic, rabido non ulla pericula ab hoste,  
Pax erit, & CHRISTO vindice tuta quies.*

*Ergo quod innumeros mundi superaueris æstus,  
Et Duce sit mortis victa procella DEO:  
Contigit & vitæ tandem melioris origo,  
O HELENA ò veris accumulata bonis:  
Vive precor, fideiq, tuæ, sanctiq, pudoris,  
Condictum capias regna beata decus.  
Nos cineres urnis & structo membra sepulchro  
Condimus: At fama nomina pectus habet:  
Et titulos seruat signatos carmine marmor,  
Quod cingant nitidis lilia iuncta rosis.*

*Hoc tandem recubo post ultima fata sepulchro  
HENNINGI clari filia culta viri.  
Iuncta thoro fueram docti dilecta mariti,  
Qui vatum S. Schani est, gloria magna soli.*

*B. 3*

*Huic*



*Huic peperì prolem coniunx fecundâ nouenam,  
Officiosa foris sedula tota domj.  
At demum morbis exhausto corpore cessi,  
Et menti cessit, vita beata mea.*

————— VITÆ EXITVS HVIVS  
VITÆ PRINCIPIVM VERÆ. —————




H A F N I Æ

*Impressit Andreas Gutterwitz,*

*Anno 1580.*





IVS  
—

